



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 158. An possit alicui conferri pinguius Beneficium sub conditione, ut
resignet vel dimittat illud, quod habet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

mittatur in resignationibus, dictum est l. 3. p. 1. à n. 63. Hic notandum, quod resignatio ita simoniace facta, quamvis sit ipso jure nulla, tamen teneat in præjudicium resignantis simoniace, qui ideo amittit jus, nec conceditur ei regressus, sed beneficium tanquam vacans à tertio impetrari potest, *Boer. Tond. Leur.* contra *Rebuff.*; attamen simonia commissa ab uno ex transigentibus, alteri vel aliis, qui non deliquerunt, nocere nequit, *Cap. 33. sicut*, de simonia, *Tond. Leur.* q. 754.

De pœnis simoniæ dictum est l. 3. p. 1. à n. 200.; quomodo autem & cui restituendum sit pretium acceptum, dictum est *ibid.* à n. 237.

1066 Q. 158. *An possit alicui conferrri pinguius beneficium, sub conditione, ut resignet vel dimittat illud, quod habet.* R. Si conferatur aliud incompatible, adjici potest conditio, ut dimittat primum, quia hæc conditio de jure inest, uti habet communis cum *Carden.* in 2. crisi d. 27. n. 120.: si autem secundum sit compatibile cum primo, *Selv. Garc. Sanch. Gibal.* dicunt fore simoniam, sed oppositum tenet cum *Moscoso Carden.* n. 122., I. Quia etiam hæc conditio videtur inesse de jure, non quidem præcipiente, attamen consulente, quamvis enim beneficia sint de se compatible, tamen secundum dicta n. 897. *Canones* oderunt pluralitatem beneficiorum in eodem subjecto, & *Trid. Sess. 24. c. 17.* de *Ref.* vult singula singulis conferri, etiam præscindendo à sufficientia sustentationis, (ob quam tamen aliquid indulget) ob multa incommoda, quæ in Ecclesiam redundant, si idem habeat plura beneficia, ergo poterit dicere, confero tibi hoc beneficium, sub conditione, ut agas hoc, quod est conformius *Canonibus*, & hic est, ut præhabitum resignes. Et hæc ratio militat pro omni collatore. Sed loquendo

quando de Episcopo, quod plus probabilitatis habet, Cap. *Quasium*, de rer. permut. datur illi potestas, ut quando est necessarium, sive, quando postulat magna utilitas pro bono regimine Ecclesie, transferat beneficiatos de una ad aliam Ecclesiam, quod tantum hic fiet per providentiam Episcopi, cujus est spectare commune bonum Ecclesie, & curare, ne plura beneficia sine causa in uno cumulentur, ideoque non requisita voluntate beneficiati potest dicere, *jubeo, ut acceptes hoc beneficium, & illud, quod habes, dimittas. Nec obstat*, quod Episcopus debeat expectare consensum possessoris, ideoque videatur esse confluxus duarum voluntatum & pactio, nam etiam alie leges expectare possunt acceptationem subditorum, & Superiores saepe legem revocant, si subditi ex causa contra legem supplicent, nec tamen ideo sunt pactiones sed leges vel mandata. Deinde licet in beneficialibus omnis pactio apud Ordinarium sit simoniaca, tamen excipitur translatio ab una ad aliam Ecclesiam, sive fiat per modum permutationis, in qua intervenit pactio utriusque beneficiati, sive per modum nude translationis beneficiati, dummodo id ortum ducat a providentia Episcopi, nam si possit transferre personas paciscentes inter se de beneficiis permutandis, etiam poterit pro bono regimine Ecclesie transferre personam, quodammodo paciscendo cum ea, ut primum beneficium dimittat.

Q. 159. Quid notandum circa publicationem resignationum. R. Seqq.

§. I. Per Constit. 87. *Greg. XIII. Humano vix*, 1067 datam nonis Jan. 1583. debent resignationes publicari. Nec contra eam Constit. obtendi potest, quod non fuerit publicata aut acceptata in partibus, nam sufficit esse publicatam Romae, & re ipsa usu satis recepta